

Christi Viennae videlicet omni Angaria,¹⁾ et circa Festum Omnium Ssorum quo Angariorum Tempore etiam Viennae in nostra Curia cum requisiti fueramus dabantur duo Crucigeri²⁾ Pauperibus et nihil amplius.

(Fortsetzung folgt im nächsten Jahrgange.)

De Vita et Cultu S. Joseph Patroni Ecclesiae Catholicae.

Disquisitio critica auctore R. P. D. Beda Plaine, O. S. B.

Conclusio.

(Vide fasc. III pg. 395—399.)

Articulus secundus: De Cultu S. Joseph tarde ostenso, ejusque hodiernis mirabilibus incrementis.

S. Joseph Cultus religiosus, qui hodie aequiparatur cultui S. Joannis Baptistae et Apostolorum, et etiam celebrior eo habetur multo tamen posterior est ordine temporum, siquidem nulla gaudebat celebritate ante decimum sextum seculum, dum dictus Apostolorum cultus a primis Ecclesiae seculis viget et florescit. Utrum vero cultus S. Joseph inchoatus fuerit in Oriente vel in Occidente, lis adhuc sub judice remanet, sed indubie diffusio ejusdem et incrementa multiplicis generis quibus ditatus est, ad nostrum Occidentem speciatim pertinent aliqualemque partem ejus gloriae liturgicae constituunt. Ista duplex questio inferius tractabitur. Sed prius quaerendum nobis est cur cultus S. Joseph tam tarde manifestatus fuerit in Ecclesia.

§ 7. Explicatur cur tam tarde ostensus fuerit Cultus S. Joseph.

Ecclesia Catholica a Christo fundata, et ab ejus discipulis edocta, annumeravit semper inter articulos symboli fidei dogma tam consolatorium Communionis Sanctorum, juxta quod communia sunt bona et merita tum Ecclesiae in coelo cum angelis triumphantis, tum Ecclesiae militantis in terra. Unde consequenter eadem Ecclesia ab incunabilis suis prosecuta est sanctos suos post mortem cultu religioso, piisque obsequiis multiplicis generis. Verumtamen non omnes sancti indiscriminatim ut modo fit honorabantur per tria vel quatuor prima secula vero solummodo colebantur qui vitam in tormentis fuderant pro Christo et justitia, ita ut excluderentur a cultu publico etiam angeli et a fortiori Confessores et Virgines, non exceptis Joseph, Maria Magdalena et aliis Sanctis Evangelicis non martyribus.

¹⁾ Quatember.

²⁾ Kreuzer.

Ipsa Beata Virgo Deipara, licet nomen ejus privilegio speciali insertum fuisset in Canone Missae, nulla tamen ni fallor decorabatur solemnitate seu festo annuali ante primos annos quinti seculi. Aliis verbis iste honor annuus non concedebatur tunc temporis nisi S. Joanni Baptistae, Apostolis et praecipuis Martyribus. Res patet, meo judicio, ex antiquioribus Calendariis, scilicet ex feriali Martyrum Romano, ex Carthaginensi et aliis analogis, item ex libro Constitutionum Apostolicarum in quibus enumerantur festa, quae tunc temporis celebrabantur¹⁾

Similiter si evolvantur sermones authentici Sanctorum Patrum tum Graecorum, tum Latinorum, inclusis Joanne Chrysostomo et Ambrosio, Augustino et Leone nullus, ut puto, invenitur sermo, qui pro objecto habeat aliquod festum B. Mariae Virginis. Quid sit aliunde insolitum seu irrationabile in hac agendi ratione quando agitur de his diebus, in quibus vigeant disciplina secreti et alia statuta analogae, non video. Nonne tunc temporis aliam tenere viam et proponere indiscriminatim cuilibet noviter ex tenebris paganismi ad lucem fidei converso Cultum Mariae Deiparae, seu Joseph Christi patris nutritii seu Angelorum idem fuisset ac involuntarie laqueum parare pedibus eorum ut taliter irretiti miserabiliter in idololatriae abyssum reinciderent et tanquam Deum verum colerent illos, qui simplices erant creaturae? Nonne etiam idem fuisset ac inconscie ansam praebere falsis calumniis et criminationibus, quibus christianos impetebant pagani, asserentes Christum eorum Deum nihil differre a Jove, Mercurio et aliis diis Romanorum, siquidem ipse Christus similiter ac isti patrem et matrem habuerit? Nullum vero aderat simile periculum in cultu Martyrum, qui omnia tormentorum genera, et mortem ipsam pro ipso Christo perpessi erant. Nam eo ipso quod mortui erant, non erant, ut patet, Dii immortales, et eo ipso quod mortui erant in tormentis pro Christo non erant aequales ipsi Christo sed ejus servi seu milites.

Porro huic rerum statui, feliciter impositus est finis quinto ineunte seculo quoad Virginem Mariam tum propter ejus privilegia sanctitatis sine pare et maternitatis divinae, tum propter blasphemias et alias injurias eidem Virgini Mariae a Nestorio et ejus sequacibus illatas quibus pie opposuerunt rectores populi Christiani, institutionem aliquot festorum in honorem Deiparae, erectionem basilicarum positaram sub ejus vocabulo et alia similia.

Par vero non erat conditio S. Joseph, unde licet ejus sanctitas ab Helvidio male impugnata, juste vindicata fuerit ab Hieronymo et aliis, licet ejus virtutes et munia rite adimpleta

¹⁾ Constitutiones Apostolicae, VIII. 33.

dignis fuerint laudibus prosecuta a Sanctis Patribus quarti et quinti seculorum, nihilominus pietas Christifidelium nondum eumdem Joseph invocabat in supplicationibus publicis, nullaque festa celebrabat in ejus honorem, providentia Dei sic res disponente ad utilitatem et profectum aliorum temporum. Quo vero tempore inchoatus fuerit cultus religiosus ejusdem Sponsi Mariae Virginis, et utrum pro prima vice res se habuerit in Oriente seu in Occidente nunc inquirendum est.

§ 8. Utrum in Oriente vel in occidente incoeptus fuerit cultus S. Joseph?

Plures Hagiographi et Liturgistae jam a tribus seculis supponunt Cultum S. Joseph, sicut et Cultum S. Mariae Virginis et aliorum sanctorum evangelicorum, initium habuisse in Ecclesia Orientali, et hodie sine dubio aliqua celebritate, gaudet iste cultus apud Graecos tum dominica ante Natale Christi, tum dominica post idem Natale, tum die vigesima sexta decembris.¹⁾ Quam assertionem libentissime et ego profiterer, si aliqua mihi antiqua testimonia fide digna ante oculos ponerentur, sed desunt, ut puto vel saltem ad ea detegenda in vanum scrutatus sum Patres Graecos et eorum scripta a Clemente Romano usque ad dies Photii non exclusis Joanne Damasceno et Germano Constantinopolitano.

Similiter tacent de eodem tum Martyrologium syriacum circa annos 400—412 exaratum,²⁾ tum Calendarium Constantinopolitanum octavi seculi a Morcellio editum.³⁾ tum Marmoreum Neapolitanum noni seculi a Mazocchio.⁴⁾ Invenitur autem pro prima vice apud Graecos nomen nutritoris Domini in Menologio Basiliano pro die vigesima sexta decembris. Sed istud Menologium non fuit editum seu conscriptum nisi jussu Basilii Junioris, qui imperavit ab anno 976 ad 1025.⁵⁾

Equidem refertur Josephum hymnographum graecum noni seculi desinentis cecinisse festivitatem S. Joseph tanquam jam notam et celebrem. Sic enim de ea scribit: „Et nunc festivitas Joseph omnes fines terrae provocat ad laudem Dei, qui ipsum glorificavit, et patrem habere dignatus est.“⁶⁾ Verum hic hymnus non videtur esse scriptum authenticum dicti auctoris, quia de eo nulla fit mentio sive in Bibliotheca Photii, sive in vita auctoris

¹⁾ Confer Menaea Graeca et alios libros liturgicos Graecorum.

²⁾ Editum fuit apud Anglos in anno 1866 a Wrightio, et nunc apparet recusum in Prolegomenis tomi secundi Novembris Bollandiani,

³⁾ Romae, 1788.

⁴⁾ Neapoli, 1743.

⁵⁾ Martinof S. J. Annus slavicus t. XI Oct. Bollandiani Prolegomena.

⁶⁾ Citatur apud Acta SS. t. 3 Martii, p. 6.

a coaevo scripta sive in codicibus antiquioribus. Unde non potest invocari tanquam valorem habens in lite de qua agitur. Haec sufficiunt de Oriente ad ostendendum cultum S. Joseph non ibi antiquiorem esse seculo decimo.

In Occidente vero res melius se habent meo iudicio: nam hic a nono seculo mediante et forsan ab octavo jam aliquali cultu publico decorabatur nutritor Domini. Quae assertio sedulo probanda est. Ac primo asseri potest aliqualiter cultum S. Joseph juxta Rhenum jam viguisse mediante seculo nono siquidem legitur in martyrologio Richenoviensi, quod non est posterius dicta epocha: ¹⁾ „Betlehem, Sancti Joseph, nutritoris.“ ²⁾ Quae verba exarata sunt prima manu. ³⁾

Aliunde monasterium cujus erat martyrologium allegatum, fundatum fuerat in prima medietate seculi octavi sub patrocinio B. Mariae Virginis, et tam ardentem colebat suam coelestem Patronam ut quinque annua festa in ejus honorem fuerint instituta scilicet Purificatio S. Mariae, ejus Annuntiatio, Assumptio et Nativitas et tandem Dedicatio S. Mariae ad Martyres. ⁴⁾ Insuper ibi celebrabatur etiam annuatim S. Lucas quasi biographus et pictor Virginis Deiparae. ⁵⁾ Unde intelligitur cur monachi ejusdem asceterii veneratione peculiari circumdederint Sponsam Virginis Deiparae, licet sine annuo festo propter occurrentiam temporis Quadragesimalis.

Confirmatur assertio, de qua agitur, praesentia nominis S. Joseph in litaniis authenticis Aleuini pro feria tertia, ⁶⁾ item in martyrologiis Remensi et S. Maximini Trevirensis quae pertinent ad eandem epocham, et in quibus legitur:

XIV kalendas Aprilis Antiochia S. Joseph, Sponsi Mariae Virginis ⁷⁾ Progrediens paulo altius, mihi videtur eundem cultum jam aliqualiter incoeptum fuisse circa primos annos octavi seculi. Etenim codices Epternacensis annorum circiter 720—730, Wissem-

¹⁾ Res probatur in Prolegomenis Martyrologii Hieronymiani editi a Clarissimis viris Rossio et Duchesne in tomo secundo Novembris Bollandiani p. XXXIV n. 31.

²⁾ Textus affertur eodem loco ab iisdem editoribus p. 34.

³⁾ Ibidem.

⁴⁾ Sacramentarium Gelasianum a Wilson editum Oxonie anno 1894 p. 323, 337, 342, 353 et 355.

⁵⁾ Ibidem p. 359.

⁶⁾ Patrologia latina, t. CI p. 595 secunda columna. Quidam anonymus has litanias interpolavit circa annum 900, et suppressit nomen S. Joseph. Ibidem p. 1391 et seq.

⁷⁾ Martyrologium Hieronymianum jam citatum p. 34. Editores afferunt tantum Codicem Remensem, quia in vanum inquisierunt Trevirensis, de qua re dolent, Prolegomena p. XXXVII n. 38. Sed idem editus apparet relate ad S. Joseph apud Bollandistas, t. 3 martii p. 7 n. 13 et inter antiquissimos codices hagiographicos merito recensetur.

burgensis Fontanellensis annorum 740—750 et Bernensis annorum 780—790, qui nobis exhibent antiquiores recensiones Martyrologii Hieronymiani¹⁾ iisdem fere verbis et primo loco hanc annuntiationem referunt pro die XIII kalendarum Aprilium, id est, 20 Martii, non 19 ut hodie „In Antiochia Natale S. Joseph.“²⁾

Quae verba, deficiente ullo additamento videntur nobis fere aenigmatica, quia hodierna martyrologia seu calendaria plures alios sanctos offerunt ejusdem nominis. Sed res erat prorsus diversa currente seculo octavo siquidem codices allegati nullum alium ac nostrum Joseph exhibent.³⁾ Hinc eruitur quod sive auctor Martyrologii, seu saltem amanuenses, qui illud exscripserunt, habebant in mente aliquem sanctum universaliter notum et a Sanctis Patribus tum antiquis tum recentibus celebratum, id est, Sponsum Mariae Virginis et non alium. Non me latet tamen verba allegata alio modo intelligi a pluribus hagiographis, id est intelligi de quodam Martyre Antiocheno,⁴⁾ cui sententiae libenter et ego adhaererem, si Joannes Chrysostomus, qui et ipse erat Antiochenus, vel alius Pater graecus aut Latinus ac presertim Beda eundem martyrem aliquot laudibus extollerent. Sed silentibus omnibus necnon et Eusebio cum aliis historicis immo cum calendariis et menologiis graecis sive antiquis sive recentibus;⁵⁾ dubius maneo seu potius opinor rem esse omnino hypotheticam et inverosilem, Insuper Alcuinus, qui in Litaniis jam citatis pro duce habet codicem Epternacensem, recenset S. Joseph inter confessores, et non in numero martyrum.⁶⁾

Non me latet etiam quemdam martyrem Joseppum nomine coli alio die tanquam Antiochensem a Latinis non a Graecis.⁷⁾ Sed hic nulla adfuit confusio sive apud Auctorem Martyrologii, sive apud amanuensem Codicum Epternacensis, Wissemburgensis, Bernensis et Richenoviensis siquidem nomina sunt diversa, et aliunde dicti amanuenses, expressam de martyre mentionem faciunt, die ejus proprio XV^o kalendas Martii sub his verbis: „Antiochia S. Joseppi (seu) Jusippi diaconi.“⁸⁾

1) Prolegomena jam citata p. IV—X.

2) Textus ejusdem Martyrologii. Vox natale pertinet ad solum Epternacensem codicem.

3) Sane Joseppus seu Josippus offertur XII^o kalendas Aprilis sed hic agitur de quodam martyre Africano. et nomen ejus latinum est non Orientale, unde nulla confusio oriri poterat. De alio Jossipo diacono et martyre, qui colitur XV kalendas Martii agetur inferius.

4) De incrementis Cultus S. Joseph disquisitio historica gallice edita. Revue de Maredsous, mars. 1897, p. 110.

5) In Anno Slavico inter Prolegomena tomi XI Octobris Bollandiani edito nullus adest martyr Antiochenus nomine Joseph nuncupatus.

6) Patrologia latina t. CI, p. 595.

7) Nihil de eo scitur, et nullibi nomen ejus apparet in Menologiis Graecorum.

8) Martyrologium Hieronymianum p. 21.

Rebus sic stantibus, hypothesis hagiographorum, de qua agitur, mihi videtur omnino claudicare. Cur vero verba superius allegata martyrologiorum non intelligerentur ab omnibus de S. Joseph nutritore Domini non video. Nam ex una parte, vox Antiochia, quae ibi adest non potest scrupulum generare, dato quod paucae erant in his diebus notitiae geographicae et quod Antiochia Syriae et Palaestinae Caput reputabatur, et aliunde ignoratur quis verus fuerit locus dormitionis Sponsi Mariae Virginis. Ex altera vero parte dies vigesimus Martii pro die decimo nono positus non potest mihi objici, nam res parvi prorsus momenti est et multa analogia inveniuntur in antiquis Calendariis seu martyrologiis. Utrum plus valoris habeat martyrologium Fuldense in qua duplex anuntiatio asservatur, Joseph nutritoris Domini pro XIV kalendarum Aprilium, et Antiochia, S. Joseph sine additamento, pro die sequenti¹⁾ petam ab ultimis editoribus Martyrologii Hieronyminiani. Porro juxta eos, istud martyrologium undecimi tantum est seculi, neque judicatur scriptum genuinum sed simpliciter excerptum ex codice Richenoviensi, ex Adone, Notkero et aliis, ac cum parva diligentia ita ut iidem sancti plurius repetantur.²⁾ Unde patet primam mentionem, de qua tractatur, mutuam esse ex martyrologio Richenoviensi, secundam vero ex Adone nec tanquam alicujus valoris mihi opponi posse. His tali modo elucidatis, concludam hanc paragraphum dicendo quod relate ad Orientem ignoratur quo tempore incoeperit cultus Sancti Nutritoris Domini, nec videtur esse antiquior decimo seculo. Relate vero ad nostrum Occidentem, certum est cultum eundem jam alicubi viguisse mediante seculo nono, nec improbable videtur illum aliquo modo inchoatum fuisse ineunte octavo seculo. Nunc vero de diffusione ejusdem cultus tum in Oriente tum in Occidente.

§ 9. De prima et quasi occulta diffusione Cultus S. Joseph usque ad quintumdecimum seculum.

Dilucidatis, quantum potuit mea exiguitas, veris originibus Cultus religiosi S. Joseph nunc inquiram quibus mirabilibus incrementis idem adauctus fuerit a nono seculo usque ad nostra tempora tum in Oriente, tum in Occidente. Sed relate ad Orientem valde pauca novimus. Quidquid enim scitur de hac re, ad tria fere vel quatuor reducitur scilicet:

1^o. In Menaeis et aliis libris liturgicis Graecorum triplex, ut jam dixi, agitur memoria Sponsi Mariae Virginis, nempe prima Dominica ante Natale Christi, secunda, die vigesima sexta Decembris

¹⁾ Analecta Bollandiana, I, 19.

²⁾ Prolegomena Martyrologii jam citata, p. XXIX, 22.

et tertia, Dominica post Natale, sed ignoratur qua epocha incoeperint prima et secunda harum commemorationum et forsitan non sunt anteriores quarto decimo seculo. De tertia jam actum est superius.

2^o. Apud Syriacos libri eorum liturgici nobis exhibent pro prima vice circa tredecimum seculum aliquot hymnos de laudibus Patris Christi nutritii. Dubitatur tamen utrum ibi agatur de vero festo annuo.¹⁾

3^o. Apud Coptos etiam S. Joseph colitur, et festum ejus annue celebratur die vigesima Julii, sed ignoratur quo tempore hoc festum institutum fuerit et asseri potest illud esse posterius duodecimo seculo.²⁾

4^o. Apud Armenios tandem et Abissynios licet idem Sponsus Mariae Virginis magna veneratione hodie circumdatur, nihil tamen de hac re dignoscitur nisi solummodo ex documentis decimi septimi, et decimi octavi seculorum.³⁾

Relate ad Occidentem res paulo melius innotescunt, sed Cultus, de quo agitur, remansit paulo diffusus seu quasi oculus, per plura secula, donec Ecclesia Romana, Ecclesiarum mater et magistra eundem quasi suum faciens sub cura sua susceperit vergente ad finem seculo decimo quinto.

Ac primo notandum est quod Aleuinus, Rabanus Maurus, et alii noni seculi scriptores, qui Sancta Evangelia commentati sunt, eximiis laudibus prosecuti sunt patrem Christi nutritium, quod erat quasi exhortatio ad eundem colendum et pie invocandum et de facto in pluribus localibus martyrologiis decimi et undecimi seculorum invenitur nomen S. Joseph verbi gratia in Veronensi seu Ratisponensi S. Wolfgangi,⁴⁾ in Stabulensi Belgico,⁵⁾ in Verdinensi Germanico,⁶⁾ in Mantuano Italico,⁷⁾ etc. etc.

Paulo serius, id est, currente duodecimo seculo, Gormannus Hibernus, eundem Sanctum inseruit in suo Martyrologio metrico, cum hoc elogio multum significativo:

„Joseph, turris contra ignem, et carus Christi nutritius.“⁸⁾

Circa idem tempus, id est, in anno 1140 fundata fuit in Anglia in comitatu Warwicensi monasterium Alcestrianum O. S. B. „sub patrocinio B. Mariae Virginis, B. Annae Matris ejus, S. Joseph

¹⁾ W. Kent: Eastern devotion to S. Joseph apud Dublin-Review, 1895, p. 245—259.

²⁾ Idem, ibidem.

³⁾ Idem, ibidem.

⁴⁾ Analecta Bollandiana, t. XIII, p. 408.

⁵⁾ Patrologia latina, t. CXXXVIII, p. 1195.

⁶⁾ Ibidem p. 1206.

⁷⁾ Ibidem 1259.

⁸⁾ Stokes: The Martyrology of Gorman: Londoniae (1895) p. 58.

nutritii Salvatoris, SS. Joannis Baptistae et Evangelistae et omnium Sanctorum.“¹⁾ Quae res mihi videtur quasi pignus magis significativum crescentis devotionis erga Sponsum Mariae Virginis.

Porro fertur Bononienses in hac re praecessisse Anglos, et consecrasset in anno 1129 quamdam ecclesiam sub proprio vocabulo S. Joseph.²⁾ Haec consecratio non est tamen indubia, sed negari non potest asservatas fuisse tunc temporis apud eosdem Bononienses, quasdam reliquias vestimentorum S. Joseph³⁾ ipsiusque nomen insertum fuisse in Litanis peculiaribus Ecclesiae Bononiensis.⁴⁾

Quae ultima circumstantia, magni est etiam ponderis, quando agitur de cultu vere liturgico, ut omnes theologi norunt Coeterum Romae non aliter agebatur corrente eodem seculo, teste doctissimo Vezzoso, qui allegat Codicem Barberinianum duodecimi seculi cum Litanis Sabbati Sancti, in quibus adest nomen S. Joseph.⁵⁾

Nova incrementa suscepit in tredecimo seculo cultus S. Joseph, sed ista incrementa magis erant privata seu localia quam generalia. Sic verbi gratia Sancta Margarita Cortonensis († 1297) et alii ejus exemplo eundem Sanctum quotidianis precibus et aliis obsequiis prosequiebantur.⁶⁾

Item in ecclesia Carnotensi „instituta fuit sollemnis commemoratio de B. Joseph“⁷⁾ occasione, ut creditur, dedicationis hujus insignis Basilicae, quae contigit anno salutis 1270: nam una ex capellis dictae Basilicae posita est sub vocabulo S. Joseph. Quae res pertinet ut patet, ad cultum vere liturgicum sed localem tantum non ad cultum generalem. Iste non adhuc concedebatur sponso Mariae Virginis, teste quodam anonymo S. Laurentii Leodiensis, qui vivebat tunc temporis et precise ob hanc causam composuit „quoddam officium in honore B. Joseph justi, Economi Domini Jesu Christi, ejusdemque Matris Virginis Mariae.“⁸⁾ Similiter neque Durandus Mimatensis, neque Virgo Gertrudis, qui tam exacte tractaverunt de veneratione in his temporibus exhibita praecipuis coelitibus, annumeraverunt Joseph inter Sanctos, qui generaliter colebantur in Ecclesia.⁹⁾

¹⁾ Monasticon Anglicanum (1682) t. I, p. 471.

²⁾ Masini: Bononia perlustrata, t. I, p. 166 et 342.

³⁾ Acta Sanctorum, t. 2 Octobris p. 58.

⁴⁾ Benedictus XIV. De Canonisatione Sanctorum IV, parte secunda, appendix secundus.

⁵⁾ Opera Tommasii, Editio Vezzosi t. 2, p. XVI.

⁶⁾ Acta SS. t. 3 Februarii Vita S. Margaritae p. 347.

⁷⁾ Epistola Gersonis ad quemdam Canonicum Carnotensem. Opera t. IV p. 731.

⁸⁾ Asservatur istud opusculum inter Codices Bruxellenses, n. 9598—9606.

⁹⁾ Rationale divinorum officiorum VII, 1—42. Legatus divinae pietatis liber quartus integer.

Negari tamen non potest Sanctam Gertrudem aliqualiter praeluisse institutioni cujusdam festi magis aut minus generalis in honorem S. Joseph. Scribit enim de eo in his verbis: „quando in officio¹⁾ nominabatur S. Joseph, cui desponsata fuerat mater Salvatoris, omnes Sancti inclinabant capita sua ob illius reverentiam.“²⁾ Nam non decebat eum, qui talibus obsequiis in coelo circumdabatur, similibus honoribus in terra carere. Et de facto plura Calendaria seculi decimi quarti nobis exhibent hoc festum. Possum allegare confidenter tamquam mihi nota Missale Arelatense,³⁾ et aliud Coloniense⁴⁾ item Breviarium Franciscanum.⁵⁾ Alia citantur a docto viro Ebner.⁶⁾ Res non minus solide confirmatur a Petro Equilino (circa 1360) qui sic se exprimit in suo Catalogo Sanctorum: „In antiquissimo Kalendario, in cujus exordio rubrica ponebatur quod de vetustis Eusebii exemplaribus sumptum fuerat, reperi scriptum festum S. Joseph Sponsi Dominae nostrae, cui fidem adhibui.“⁷⁾

Aliquoties assertum est Carmelitas primam partem habuisse in institutione hujus festi liturgici⁸⁾ dum ab aliis idem honor vindicatur in favorem Dominicanorum.⁹⁾ Sed haec duplex assertio non est forsitan erroris experta.

Etenim primo quoad Carmelitas, erroneum esset supponere quod jam corrente seculo duodecimo colerent S. Joseph festo liturgico et annuo, siquidem isti religiosi, antequam ex Oriente transirent ad nostrum Occidentem, iisdem Missalibus ac Breviariis utebantur ac milites Sancti Sepulcri, scilicet Missalibus et Breviariis Romano-Gallicanis non orientalibus, in quibus absolute deerat dictum festum Sponsi Mariae Virginis. Insuper idem non invenitur etiam in Calendariis Carmelitanis corrente seculo decimo quarto editis ut patet ex codicibus Parisinis 884, 1115 et 12056, qui nobis exhibent Missalia hujus ordinis.

Secundo quoad Dominicanos res non est minus incerta, siquidem sermo encomiasticus de S. Joseph, qui attribuitur Alberto Magno et dedit occasionem opinioni, de qua agitur, apocryphus est dum e contra neque Jacobus de Voragine (1280) neque Bernardus Guido (1330), duo insignes hagiographi hujus ordinis annumeraverunt Joseph inter sanctos praecipue cultos in Ecclesia,

1) Tractat de officio diei 25. martii seu Annuntiationis B. Mariae Virginis.

2) Legatus divinae pietatis, IV, 12.

3) Inter codices Parisinos computatur 839.

4) Ibidem, n. 17307.

5) Ibidem, n. 13227.

6) Quellen und Forschungen zur Geschichte des Missale Romanum (1895) p. 161, 176.

7) Catalogus Sanctorum pro die XIX. Martii.

8) Acta SS. t. 3 martii p. 7 n. 14 et 15.

9) Pfull, S. J.: Disquisitio jam citata, p. 156.

primus in *Legenda aurea*, secundus in *Speculo Sancto-*
ralli. Quae omissio certe non habuisset locum, si iste Sanctus
jam quemdam cultum habuisset in ordine S. Dominici.

Aliunde res negari non potest inspectis tum *Calendario*
hujus epochae *Dominicano*, quod asservatur *Tolosae*,¹⁾ tum *veteribus*
missalibus et *Breviariis* item *Dominicanis*.²⁾ In omnibus, quae mihi
nota sunt, et pertinent ad decimum quartum vel decimum quintum
seculum deest omnino festum S. Joseph, praeter codicem 1313,
qui est decimi quinti seculi, et in quo aliunde additum est manu
posteriore.

Honor hujus institutionis meliori forsitan jure tribueretur
ordini Fratrum Minorum, siquidem non solum jam dictum festum
invenitur in quodam eorum *Breviario* seculi decimi quarti³⁾ sed
etiam vi statuti anni 1399 extensum est modo generali toto dicto
ordini.⁴⁾

Hoc statutum magni est ponderis in re de qua tractatur
et mihi videtur quasi praeludium extensionis dicti festi ad Eccle-
siam universalem. Scripta vero et praedicationes tum in *Francia*
et *Belgio* Joannis Gersonii et Petri Alliacensis, tum in *Hispania*
et *Italia* Sanctorum Vincentii Ferrerii et Bernardini Senensis
multum adjumenti praestiterunt corrente seculo decimo quinto
huic cultus extensioni, quae tandem feliciter peracta est circa
annum 1475 auctoritate Romani Pontificis Sixti IV olim alumni
ordinis Franciscani. Non ad nos pervenit textus istius decreti
Sixtini, sed indubia est ipsius promulgatio,⁵⁾ et debet esse anterior
anno 1479. Nam in isto anno editum est *Venetis* *Breviarium*
Romanum, in quo invenitur pro prima vice festum S. Joseph.⁶⁾
Istud festum sane erat solummodo festum ritus simplicis, forsitan
quia nihil aliud petebat pius Gersonius.⁷⁾ Sed brevi res in melius
mutatae sunt, siquidem in alio *Breviario Romano* anno 1482 edito
idem festum jam erat ritus duplicis, majorem adhuc gradum paulo
serius obtenturus.

§ 10. Mira incrementa Cultus S. Joseph
in decimo sexto, decimo septimo, et decimo octavo
seculis.

Ecclesia Romana diu expectaverat juxta regulas prudentiae
et sapientis tarditatis, a quibus nunquam discedit, antequam san-

1) Codex Tolosanus, n. 82.

2) Citari possunt Codices Parisini 1305, 1313, 1326, 8887, 10489.

3) Codex Parisinus 13227.

4) Arturus Dumonstier, *Martyrologium Franciscanum* die 19. martii.

5) Platina, scriptor coaevus, quem ipse Sixtus constituerat Praefectum
Bibliothecae Ecclesiae Romanae rem attestatur in *Vitis Romanorum Pontificum*.

6) Acta SS. t. 3 martii. p. 9, n. 19.

7) Epistola ad Ducem Bituricensem. Opera, t. 3 p. 731.

ciret sua auctoritate cultum liturgicum S. Joseph. Sed tam efficax fuit illius sanctio, ut iste cultus ex hoc die nova incrementa sumens mirum in modum sese ubique diffuderit, scilicet in Italia, in Gallia et in aliis regnis christianis.¹⁾

Carmelitae et Dominicani annumerandi sunt primo loco inter religiosos ordines, qui feliciter allaboraverunt ad hanc diffusionem peragendam. Nihil praesertim ad hoc magis profuit quam ex una parte exempla et documenta S. Teresiae matris ac magistrae dicti ordinis reformati Carmelitarum, et ex alia parte eximium opus Isidori de Insulis Dominicani, cui titulus: *Summa donorum S. Joseph.*²⁾ Nec defuit etiam huic operi ordo S. Benedicti. Nam Joannes Trithemius, Abbas Spanheimensis egregium composuit tractatum de Laudibus S. Joseph necnon officium et missam cum sequentia et hymnis in honorem ejusdem sancti.³⁾

Notanda sunt etiam tanquam signum manifestum crescentis devotionis erga S. Joseph 1^o zelus et pietas, quibus animatae quaedam sodalitates seculares, verbi gratia, carpentariorum et aliorum lignariorum elegerunt circa annos 1500—1530 Sponsum Mariae Virginis tanquam patronum, eumque hac de causa novis obsequiis coluerunt,⁴⁾ 2^o consuetudo dicandi eidem sancto feriam quartam unius cujusque hebdomadarum quae incepta est, ut videtur, circa annos 1600—1640.⁵⁾

Insuper cursum suum peragente decimo septimo seculo, quaedam nova instituta religiosa fundata fuerunt sub vocabulo et patrocinio specialiter S. Joseph veluti capitis Familiae sacrae ac perfecti exemplaris vitae religiosae. Primum exemplum forsan datum est Romae ubi orti sunt circa annum 1620 sacerdotes Congregationis S. Joseph.⁶⁾ Quod exemplum paulo post imitata est Gallia, quae produxit Lugduni circa annum 1650 Missionarios S. Joseph.⁷⁾ Paulo antea ortum habuerant Burdigalae in anno 1640 familia Filiarum Hospitum secularium S. Joseph,⁸⁾ Flexiae, institutum Sororum Hospitum S. Joseph⁹⁾ et Podii Congregatio religiosarum Josephinarum quae ultima hucusque subsistit.¹⁰⁾

¹⁾ Ad rem dignoscendam in particulari, confer Lueot: *S. Joseph. Etude historique sur son culte* p. 39—50, item *Revue de Maredsous*, avril et mai 1897, p. 145—155 et 203—209.

²⁾ Prodiit pro prima vice hoc scriptum Papiae, 1522.

³⁾ De quibus consuli potest disquisitio critica docti viri Silbernagl de Joanne Trithemio. Ratisponae, 1886.

⁴⁾ Barbier de Montaut, *Pratiques de devotion envers S. Joseph*. Paris, 1877.

⁵⁾ Idem, ibidem.

⁶⁾ Hélyot: *Historia Ordinum religiosarum*, Paris, 1859 (Migne) t. 1, p. 999.

⁷⁾ Ibidem t. 2, p. 679.

⁸⁾ Ibidem t. 2, p. 693.

⁹⁾ Ibidem p. 702.

¹⁰⁾ Ibidem p. 689.

Rebus sic stantibus Romani Pontifices decimi septimi seculi recensendum putaverunt festum S. Joseph inter festa de praecepto¹⁾ illudque ad gradum secundae classis elevaverunt.²⁾ Ipsi etiam seculares principes eodem zelo pietatis accensum eundem Sponsum Mariae virginis ambierunt tanquam protectorem et tutelam suorum regnorum, eumque hoc titulo decoraverunt sive sua propria auctoritate, ut Ludovicus XIV in Gallia³⁾ et Ferdinandus III. in Austria,⁴⁾ sive quod melius est cum permissione summi Pontificis, ut Carolus II. in Hispaniis et in Belgio.⁵⁾

Decimum octavum seculum parum meruit de religione et pietate, ut omnes norunt. Verumtamen eo decurrente minime ad pejus devenerunt cultus et pietas ergo Sanctum Joseph siquidem tunc temporis decoratus est iste cultus officio totaliter proprio cum antiphonis et Responsoriis, hymnis et versibus partim ab ipso Romano Pontifice Clemente Undecimo redactis.⁶⁾ Insuper pro prima vice insertum est auctoritative S. Joseph in Litaniiis generalibus Sanctorum, et insertum est tanquam nomen Patriarchae, et non Simplicis Confessoris.⁷⁾ Quae ultima distinctio maximi erat valoris: Nam ex hac die Sponsus B. Mariae Virginis ab aliis sanctis secernebatur et sumebat locum immediate post S. Joannem Baptistam: quae res reputari poterat quasi primus gradus ad obtinendum titulum Patroni universalis Ecclesiae, quo condecoratus est in nostris diebus idem gloriosus Sanctus. Nec mirum si tam gloriosa distinctio non fuerit obtenta nisi post multas concertationes, in quibus pro S. Joseph alacriter pugnabat doctissimus Lambertini, qui fuit postea Benedictus XIV.⁸⁾

§ 11 et ultimus. Cultus S. Joseph in decimo nono seculo. Solemniter declaratur Patronus Ecclesiae.

Isidorus Insulanus de quo locutus sum supra, praenuntiaverat de S. Joseph ineunte decimo sexto seculo in his verbis:

⁸⁾ Decretum 8. maii 1623 a Gregorio XV editum.

⁹⁾ Decretum 6. decembris 1670 a Clemente X. editum.

¹⁾ Lucot: libro citato p. 61—62.

²⁾ Ibidem p. 64 et 65.

³⁾ Decretum S. C. Rituum 19. aprilis 1679 et 31. augusti 1680.

⁴⁾ Hymni hujus officii non sunt opus ipsius Papae, sed ejusdam anonymi decimi sexti seculi, ut conjicitur ex eo quod inveniuntur pro prima vice in quodam Monastico Breviario anni 1580 juxta Clarissimum virum Ulyssem Chevalier in suo Repertorio Hymnologico n. 3534 et 9155. Isti tres hymni debent pertinere ad eundem auctorem: nam sunt ejusdem metri, et constituunt quasi unam solam descriptionem, scilicet

¹⁰⁾ Te Joseph celebrant; hymnus historicus est.

²⁰⁾ Coelitum, Joseph, encomiasticus est.

³⁰⁾ Iste, quem laeti colimus; tractat de morte Sancti.

⁵⁾ Decretum 19. decembris 1726 editum a Benedicto XIII.

¹⁾ De Beatificatione Sanctorum, lib. IV, p. 2, c. 20, n. 6.

„Caput et Patronus vocabitur imperii militantis Ecclesiae, fietque de eo festum praecipuum et venerandum.“¹⁾ Haec verba prophetica erant, tamque perfecte nostris diebus adimpleta sunt ut revera S. Joseph condecoratus fuerit titulo Patroni Ecclesiae. Insuper adeo exaltatus est idem sanctus in veneratione plebis christianae ut nullus eo major inter Sanctos adinveniri possit hodie praeter Virginem Mariam. Res tamen ad hunc statum honoris non pervernerunt nisi gradatim et successive. Sic in primis annis hujus seculi decimi noni Pius septimus licentiam tantum dedit quibusdam Ecclesiis inserendi nomen S. Joseph in pia Collecta: A cunctis in qua, ut omnes norunt, praecipuis sanctis recensentur tutelares Ecclesiae.²⁾ Vi hujus decreti istud nomen debebat poni sive immediate post dulce nomen Mariae, sive saltem post nomina Sanctorum Michaelis et Joannis Baptistae in ecclesiis, quae alterutrum agnoscebant patronum. Unde hoc decretum potest considerari, quasi secundus gradus ad obtentionem tituli patronalis.

Tertius gradus ascensus est in anno 1847 quando Pius Nonus, gloria praecipua decimi noni seculi, extendit ad universam Ecclesiam, festum Patrocinii S. Joseph,³⁾ quod antea existebat sed simpliciter tanquam locale seu proprium aliquot familiarum religiosarum seu regnorum, verbi gratia Ordinis Carmelitani, Hispaniae, Belgii etc. Vi hujus decreti, S. Joseph jam colebatur virtualiter quasi patronus totius Ecclesiae, quamvis ipse idem titulus nondum ei auctoritative assignatus fuisset.

In illis diebus aliunde magis ac magis diffundebatur pietas erga Sponsam Mariae Virginis meliorique fama gaudebat. Ubique condebantur Basilicae et oratoria in ejus honorem, nova instituta religiosa sub ejus vocabulo fundabantur, novaeque sodalitates seculares eum adoptabant in patronum, et curam sibi assumebant promovendi ejus honorem et cultum.

Quinimmo circa annum 1850 incoepa fuit devota praxis consecrandi annuatim mensem martium integrum piis exercitiis in honorem S. Joseph peractis, ad instar mensis Marialis seu mensis maii, qui dicatus est cultui Virginis Deiparae, ut omnes norunt. Haec vero nova praxis tam digna laude visa est ut brevi post ejus inchoationem aucta fuerit iisdem indulgentiis et favoribus spiritualibus quae antea propriae erant mensis Marialis.⁴⁾ Insuper eodem tempore ex omnibus mundi christiani partibus vota et preces Romam transmittentur ut supremus nauta cymbae Petri provideret novum subsidium christifidelibus contra ventos et tempestates in istis temporibus tam periculosis, et Patronum Eccle-

¹⁾ Summa donorum, S. Joseph, parte tertia, 6 et 7.

²⁾ Decretum 17. sept. 1815.

³⁾ Decretum 10. sept. 1847.

⁴⁾ Decreta Congregationis Indulgentiarum, 17. aprilis 1865 et 4. febr. 1877.

siae instituere dignaretur Sponsum Mariae Virginis. Sic egerunt in anno 1863 Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi et alii praelati seu sacerdotes Tridenti Congregati pro celebratione tertii anniversarii centennarii conclusionis Concilii Tridentini, item in anno 1869 Patres Synodi provincialis Burdigalensis, quae habita fuit Pictavi. Tandem anno sequenti Patres Concilii Vaticani eadem vota instantius renovarunt. Quibus ultimis votis obsecundari quasi necesse erat, siquidem fiebant moraliter nomine universae Ecclesiae. Quocirca paucis post mensibus, Pius Nonus die octava decembris anni 1870 promulgavit decretum: „Quemadmodum Deus“ virtute cuius Sanctus Patriarcha solemniter declarabatur Patronus Ecclesiae Catholicae ad mala omnia propulsanda, quae nos undique conturbant in luctuosis hisce temporibus.“¹⁾ Hoc decretum fuit ad huc confirmatum et corroboratum decreto sequenti, dato die septimo Julii anni 1871, in quo explicatum est in particulari qualiter ipsi Joseph debebant tribui in ecclesiastico cultu omnes et singulae honoris praerogativae quae juxta Regulas Breviarii et Missalis Romani generales Sanctis Patronis praecipuis competunt.²⁾

Leo Tredecimus, qui dignus Successor Pii Noni tam sapienter hodie praestitit toti Ecclesiae, eadem fideliter secutus est exempla pietatis, nihilque negligit ad augendum cultum et devotionem erga novum Ecclesiae Patronum. Sic cautum est ejus decreto dato die 9. septembris anni 1883 festum Natalis S. Joseph deinceps annumerandum esse inter praecipua anni festa, seu inter ea in quibus archiepiscopi et episcopi quibus jure concessum est, utantur sacro pallio. Item pius Pontifex alio decreto quintidecimi Augusti anni 1889 novis indulgentiis ditavit piam praxim quotidianorum exercitiorum in honorem S. Joseph peractorum per totum mensem martium incitavitque fideles ad instituendas preces novendiales seu saltem triduanas, quasi praeparativas festis diei S. Joseph. Similiter eodem decreto mandavit nomen S. Joseph inseri tum in orationibus quae sequuntur quotidie missas lectas, tum in iis, quae comitantur recitationem Sancti Rosarii in mense octobri.

Hic sistit ista notitia historica de Cultu S. Joseph, in qua clare ostensum est, ni fallor, qua prudentia et pariter quo zelo Ecclesia Romana foverit ac promoverit cultum et devotionem erga tam benignum et tam potentem Protectorem sed forsitan alicujus operae pretium erit inquirere antequam deponam calamum in quibus circumstantiis eadem Ecclesia Romana detexit et compescuit exaggerationes pietatis ardentioris quam sensatae. Notabo in primo loco prohibitionem cujusdam „officii parvi in honorem

¹⁾ Decretum 7. Julii 1871.

²⁾ Decretum 7. Julii 1871.

S. Joseph⁴⁾ in quo Sponsus Mariae Virginis colebatur quasi par dignitate suae coniugi, dum e contra Virgo Deipara multo altior est ratione maternitatis divinae, et sola potest condecorari officio quotidiano, quod sit ejusdem generis ac cursus Canoniceus.

Item prohibita sunt jure merito tum institutio in honorem S. Joseph cujusdam Rosarii conformis Rosario Mariali²⁾ tum usus cujusdam Ave fere conformis nostrae salutationi Angelicae³⁾ tum recentius cultus specialis exhibitus Cordi S. Joseph.⁴⁾

Has plantas e falsa pietate ortas resecurit provide in suo germine, ne verae pietati nocerent, auctoritas Ecclesiae Romanae, quae eisdem annis tam sagaciter favebat, ut supra ostensum est, extensioni dicti cultus.

Recapitulatio et Epilogus.

Haec sunt quae in meliorem lucem adducere conatus sum de Vita et Cultu novi Patroni Ecclesiae Catholicae. Pauca profecto dixi de actibus et virtutibus Sancti Joseph quia pauca de eo scimus cum certitudine, sed saltem ut spero vera a falsis et certa a dubiis sedulo semper secernens, fideliter asserui contradicentibus immerito etiam aliquot scriptoribus catholicis, 1^o verum connubium extitisse ante Incarnationem Dominicam inter Mariam Virginem et ipsum Joseph, 2^o ortum esse Christum indubie per Mariam ex semine David Regis Israël, quamvis Evangelistae unice contexuerint genealogiam Joseph non vero Mariae.

Relate ad cultum S. Joseph in primo loco motiva, ob quae tam tarde manifestatus fuerit iste cultus, aperui in quantum potui, necnon et initia ejus obscura in octavo et nono seculis studiose discussi ad discernendum utrum in Oriente incoeperit vel in Occidente. Deinde de ejusdem cultus diffusionem tractans, ostendi solide, ut reor, hanc diffusionem remansisse magis localem quam generalem usquedum eam Ecclesia Romana sanxerit sua auctoritate, vergente ad finem seculo decimo quinto. Qua sanctione adauctus et corroboratus dictus cultus nova incrementa exhinc mirum in modum accepit et tandem pervenit ad hodiernum statum honoris et exaltationis, in quo S. Joseph colitur ut Patronus peculiaris Ecclesiae Catholicae, nullusque sanctorum major sit eo et honoratior praeter ipsam Virginem Deiparam, quam vivens habuit sponsam.

Ad concludendam hanc disquisitionem criticam simul ac hagiographicam seu liturgicam aliqua addam tanquam appendicem de reliquiis S. Joseph.

1) Decretum S. C. Rituum editum die 23. martii 1630.

2) Decretum 24. januarii 1868.

3) Decretum 18. februarii 1869.

4) Item 14. junii 1883.

Appendix unicus: De reliquiis S. Joseph.

Pauca sunt numero reliquiae S. Joseph quae asservantur in Ecclesia, et aliter non poterat fieri siquidem gloriosus Sponsus Mariae Virginis pie a multis annumeratur, ut jam dixi, inter Sanctos, qui, triumphaliter surgente Christo ab inferis, surrexerunt cum eo, et cum eo simul ascenderunt in coelum forsan in corpore et in anima. Unde si aliqua ecclesia vel familia religiosa sibi vindicavit olim possessionem alicujus membri seu aliae partis corporis S. Josephi, ista vindicatio nulla probabilitate gaudebat, et hodie rejicienda esset meo judicio quasi injuriosa ipsi Sancto. Quocirca solae reliquiae Sponsi Mariae Virginis, quae publicae venerationi exponi possunt, constant ex ejus vestimentis, seu aliis rebus materialibus, quibus vivus vestitus erat, vel quarum habuit usum.

En series integra harum reliquiarum, quae mihi notae sunt:

1^o Sacra domus Nazaretana, in qua Verbum Caro factum est, et quam Angeli Lauretum in Piceno postmodum transtulerunt, propria erat domus S. Joseph. Eam forsan acquisierat suo labore et industria, in ea certe vixit multis annis piis operibus et orationi totaliter deditus.

2^o Annulus Nuptialis, symbolum et pignus unionis matrimonialis, qua uniti sunt in vita Maria Virgo et Joseph, exhibetur Perusii et magna veneratione jure merito circumdatur, licet ejus authenticitas non sit extra omne dubium, unde alia loca, verbi gratia Senae in Tuscia, Semurium in Burgundia, Aquicinctum in Flandria sibi eandem vindicant possessionem.¹⁾

3^o Mantellus, quo Joseph induebatur et quo ipse puer Jesus multoties operiri debuit, exhibebatur cum magnis devotionis signis Romae in decimo septimo seculo divisus in duabus partibus, quarum una asservabatur in Ecclesia S. Ceciliae trans Tiberim, altera apud Sanctam Anastasiam.²⁾ Ex hoc tempore aliquae particulae ejusdem mantelli datae sunt Carmelitanis reformatis Antverpiensibus³⁾ et Benedictinis Silensibus in Hispania,⁴⁾ et forsan aliis familiis religiosis.

4^o Aquisgrani in Germania Rhenana asservatur quoddam genus Calceamenti quod nuncupatur: Caligae S. Joseph.⁵⁾

5^o Baculus S. Joseph. Duo baculi reputantur quasi baculi Sponsi Mariae Virginis, scilicet unus, qui pertinet ad

1) Acta SS. t. 3 martii p. 15 et 16, n. 53 et 54.

2) Ibidem p. 55.

3) Ibidem.

4) Hanc ultimam particulam nosco de visu, eamque multoties veneratus sum.

5) Acta SS. loco citato n. 56.

Ecclesiam Sanctae Anastasiae Romanae, alter ad nostram Dominam Angelorum apud Florentinos.¹⁾

6° Cingulum S. Joseph. Ista pretiosa reliquia asservatur cum eximia pietate in Campania Gallica. Fertur eam fuisse e Constantinopoli Joanvillam translata in anno 1254 ab ipso Domino Joanvillae tam noto apud scriptores ut amico et fideli biographo S. Ludovici Noni Regis Franciae.²⁾

Scholae Benedictinae

sive

De Scientiis opera Monachorum Ordinis S. Benedicti auctis, excultis, propagatis et conservatis Libri Quatuor

a Domino Odone Cambier Monacho Affligeniensis Monasterii
Ordinis ejusd. S. Benedicti.

(Conclusio ex fasc. III. 1898, pg. 399—404.)

XI. Caput XXV. Quomodo punitae puerorum in Scholis culpae. Declamatio in laudem Virgarum.

A feriis ad ferulas et virgas, quibus puerorum
coercita insolentia, et aliae quas in Scholis committunt
culpaе detersae, transire libet. Nec incongrue, ut arbitror.

Puerorum
culpaе pu-
niendaе.

Nam feriatis diebus non raro peccant adolescentuli, dum iam liquidis iam constrictis undis corpus immittunt, hortos expilant, aliaque contra leges patrant, pro quibus non alia solutionis ratio quam ut Magistris de corio suo satisfaciant. Id adeo verum et vetus, ut etiam in Scholis S. Galli locum habuerint, quod ex verbis istis Ekkehardi³⁾ discimus: Erat dies S. Marco solemnis, et ut solent scholasticuli diebus festis ut cras vapulent, saepe mereri; veniam per precatores vel inducias, ut verius scribam, secunda feria habuerant. At tertia feria exactoribus, quos circatores vocamus, culpas eorum Magistro memorantibus, omnes exuere iubentur, vestem ad verbera, scilicet: ubi et videre est quam antiqui sint scholarum censores, qui vocantur hoc loco exactores.

Assumuntur illi a praeceptoribus, qui quantumvis
eruditi sunt ac diligentes, tamen discipulis adesse, eos
perpetuo observare nequeunt. Horum munus est, con-

Exactorum
munus.

¹⁾ Patrignani S. J.: Praxis devotionis erga S. Joseph. (Liber editus in lingua Gallica.) Lyon, 1709.

²⁾ Didron: Annales Archéologique II, p. 113—115.

³⁾ Ekkeh. de Cas. c. 6.